Disputatio medica inauguralis de dysenteria ... / eruditorum examini subjicit Jacobus A. Bannerman.

Contributors

Bannerman, James Alexander, -1838.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Georgii Mudie et filii, 1796.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/egztt8vx

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b2227148x

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS A. BANNERMAN, A. M.

SCOTUS.

" ———— *The ghaſtly form,*
" *The lip pale quivering, and the beamleſs eye*
" *No more with ardour bright.*"

THOMSON.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1796.

PATRI OPTIMO

ALEXANDRO BANNERMAN, M. D.

MEDICINÆ

IN

ACADEMIA REGIA ABERDONENSI

PROFESSORI,

CUI OMNIA DEBET,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATIS

MONUMENTUM,

SUMMA REVERENTIA

D. D. Cq.

JACOBUS A. BANNERMAN.

ERRATA.

§ XXXI. lin. 4. *pro* tiam, *lege* etiam.

§ CXIII. lin. 3. *pro* ſena, *lege* ſenna.

§ CXIII. lin. 4. *pro* oleum cicinum, *lege* oleum ricini.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

JACOBO A. BANNERMAN Auct.

PROŒMIUM.

§ I. UT, secundum constituta almæ hujus Academiæ, mos est, eos, quotquot summos medicinæ honores petunt, rem aliquam medicinalem persequi in Latino sermone scriptis, de quibus postea editis, palam eruditis, disputetur; sic dysenteriam quàm poterimus brevissimè tractare, nobis constitutum est.

II. Nomen hujus morbi, de GRÆCO fonte derivatum, componitur ex δὺς, quod idem, atque *ægrè* eu *difficulter*, significat ; et ἔντερον, quod, *intestinum*. Eundem morbum BRITANNI, patrio sermone, *bloody flux* nominant, propterea quòd ex alvis eorum, qui hunc nacti sunt, interdum cruor excernitur. Verùm, licèt frequenter, tamen non semper in iis, quæ alvo emittuntur, cruor oculis percipitur ; ideoque neque nota est ad dysenteriam cognoscendam necessaria, nedum digna, ex qua hic morbus nomen capiat.

III. Dysenteria, quippe cùm ferè naturâ pestiferâ sit, plerumque, sicut alii morbi pestilentes, ministeriis invicem et contactu longè latèque vulgatur. Interdum autem, licèt rariùs, præsertim cùm primùm ingruere incipit, et vis ejus nondum gravis evasit, nequedum febris eam comitatur, haudum pestifera homines sparsim invadit, prout causis quibusdam

debilitantibus

debilitantibus sese obtulerint. Verùm, haud multò pòst, adeò pestilens fit, ut solâ contagione in omnes ferè homines, communi contubernio, aut navi, aut castris, aut vicinia utentes, ingruat.

IV. Hic morbus, plerumque sub finem æstatis, aut initium autumni, grassatur; maximè autem, si tempestas calida, et pluviosa aut nebulosa anteiverit.

V. Præ pestifera natura, dysenteria grassatur per classes, exercitus, et valetudinaria; in quæ congregatur magna vis hominum, quibus communia sunt dura maris, dura belli, dura morborum, quique, ferè per omnia, communitate vitæ et victûs utuntur. Cùm congregatos utcunque homines invadit, velut si grassando novam vim adepta, parùm interea obstante medicinâ, dolendam stragem edit; et, atrocissimo prælio exitiosior, exercitum magnum et

victoriâ elatum, brevi exiguum et spe dejectum facit.

VI. Quidam auctores opinati sunt, complures esse dysenteriæ species, inter se diversas, et quæ diversas, suam quæque, curandi rationes desiderant.

VII. In species verò dysenteriam sic (VI.) dividere, utcunque accuratum videatur iis, qui res dividendi, seu frangendi potiùs, cupidi sunt, parùm tamen medicis curationem exsequentibus utile est: quoties enim pestifera, ut plerumque, grassatur, eâdem ferme, ut testantur PRINGELIUS* aliique probi auctores, naturâ est, atque eandem, ferè per omnia, curationem requirit. Quocirca, inceptam hanc rem persequendo,

Vid. PRINGEL. *Observat. on the Diseases of the Army.* Edit. v. pag. 223.

persequendo, ponam ante oculos peſtilentem dysenteriam, qualis solet contactu per classes et exercitus vulgari.

DEFINITIO.

DEFINITIO.

VIII. CULLENUS, auctor clarus in primis, dysenteriam definivit his verbis. " *Pyrexia contagiosa ;* dejectiones frequentes, mucosæ, vel " sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus " alvinis ; tormina ; tenesmus *."

* Vid. CULL. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. 41.

SIGNA.

SIGNA.

IX. Dysenteria interdum a ventriculi et alvi inflatione incipit; interdum a lassitudine et debilitate totius corporis. Simul æger ventriculus cibos non appetit, et malè se habent intestina. Hæc plerumque excipiunt totius corporis frigus et horror, qualibus afficiuntur febre correpti, quibusque, pòst aliquantò, succedit calor. Interea, dum frigus et calor aliquandiu vicissim corpus occupant, arteriæ celeriter moventur; sitis urget; ventriculus nauseat, imò haud rarò biliosa quædam suprà effundit.

X. Quanquam hujusmodi (IX.) signa dysenteriam plerumque prænunciant, tamen interdum, prænunciis ferme nullis, hic morbus subitò invadit. Infelix homo inopinanter ægrotans, vehementer nauseâ, ægrotatione,

vomitu

vomitu vexatur. Pòst paulò, intestina graviter torquentur. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano sunt. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur; atque eo quoque tormentum intenditur, sed, post tempus aliquod, levatur.

XI. Nonnunquam intestina aliquandiu antè torquentur, quàm aliquid dejicitur. Quoties ita est, tormina etiamque dolores multo graviora sunt, quàm solent esse, quando dysentericus alvi desiderio ferè protinus desidere urgetur.

XII. Initio, dejiciendi cupiditas, quamvis frequens, non adeò molesta est; verùm, haud multò pòst, fit multo quàm antea frequentior, simulque adeò inanis, ut dysentericus, inter desidendum, utcunque velit, rarò tamen aliquid egerat. Crebram hanc inanemque egerendi

rendi voluntatem, qua vexatur, medici *tenesmon* appellant.

XIII. Quando usque eò (XII.) gravitatis morbus increvit, febris multùm intenditur. Arteriæ non solùm incitatiùs, quàm antea, moventur, ſed etiam enixiùs et pleniùs.

XIV. Procedente autem morbo, inflammatio conquiescere incipit; et febris, quæ initio ardens erat, nunc in *typhum*, eumque putridum, degenerat.

XV. Per morbi tempus, quæ infrà transmittantur, ea colore, et etiam spissitate aliàs alia sunt. Initio, redduntur ſtercorosa plùs minùs mollia, figurata, biliosa, modo convenientia his, quæ assumuntur. Aliquantò pòst, descendunt vel perliquida, glutinosa, spumantia, et serosa; vel plùs minùs cruenta. Interdum id, quod excernitur, præ arteriis erosis vel ruptis, eſt

merus cruor, aliàs massulas quasdam in se habet.

XVI. Morbo inveterascente, modò egeruntur purulenta, vel saniosa, pessimi odoris; modò quædam, quæ strigmentum repræsentant. Quinetiam, vermes nonnunquam descendunt; qui plerumque lumbrici teretes sunt, at interdum, ut teſtatur ZIMMERMANNUS, oculatus teſtis, *ascarides* *.

XVII. Interdum, porrò, ut certiores nos faciunt ARETÆUS, CÆLIUS AURELIANUS, aliique boni auctores, cùm vetusti tum recentes, sunt in iis, quæ excedunt, quædam aspectu pinguia, sevosa, seu carnosa, in massulas conformata. PRINGELIUS autem ait, se cum HUCCIO, diligente et curiosâ quidem inspectione adhibitâ, nihil esse aliud comperisse, quàm caseum, quem fortasse æger

* Vid. ZIMMERMAN. *De Dysenteria*, ANGLICE vers. a HOPSON. pag. 174.

æger devoraverat, quive formatus e lacte in stomacho erat *. Hujusmodi itaque massulæ, inter ea sunt, quæ casu accidunt; neque signis dysenteriæ propriis annumerari oportet.

XVIII. Rarò egeritur stercus, nisi in corpuscula induratum, quæ, medicorum linguâ, *scybala* nominantur. Hæc, quoties excedunt, tormina et tenesmon leviora reddunt, simulque minùs frequentia.

XIX. Dysenterici plerumque quindecies propè viciesve quotidie desident; sed interdum, si magna vis morbi urget, multo sæpius. Imò nonnunquam crebrò, ferè supra quàm cuique credibile est, dejiciunt. Fert enim ZIMMERMANNUS, se dysentericos curâsse, qui, paucis horis,

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, edit. quint. pag. 229.

horis, a centies quinquagies ad ducenties desidere solebant *.

XX. Ea, quæ excernuntur, plerumque parca ſunt, supra quàm sana alvus solet egerere. Interdum autem prorsùs aliter est; nam idem auctor est, nonnunquam, utcunque dictu incredibile sit, uno die, quadraginta libras humoris aquosi infrà transmitti †.

XXI. Dum dysentericus his (IX.—XX.) malis premitur, cutis, præ humoribus ad intestina, supra consuetudinem, derivatis, arida est, et tanquam impervia; atque ferè nunquam proprio mollescit halitu, sudoreve madescit. Usque eò interdum aret summa cutis, ut, ferè ex toto, squamulis exasperetur. Nonnunquam etiam,

* Vid ZIMMERMAN. *De Dysenteria*, ANGLICE vers. a HOPSON. pag. 5.

† Vid. ibid. pag. 30.

etiam, ob vehementes dejiciendi nisus, anus procidit. Aliàs, præ inflammatione ex imo intestino in vesicam serpente, stranguria accidit, imò etiam nonnunquam *ischuria*. Hujusmodi autem signis dysenterici rariùs afficiuntur.

XXII. Talia (IX.—XXI.) sunt nonnulla ex malis, quibus premuntur ii, qui dysenteriâ laborant.

XXIII. Si dysenteria levis sit, vel si ei opportunè subvenerit medicina, et remediis assumptis signa mitescant; tormina paulatim levantur, et compluribus induratis (XVIII.) corpusculis infrà transmissis omnia signa remittunt; atque morbus transit in levem diarrhœam, quæ vel sponte vel idoneis medicamentis brevi, haud rarò paucis diebus, ad sanitatem pervenit.

XXIV.

XXIV. Contrà, quando dysenteria, ut sæpe accidit, præsertim cùm plurimi ibidem et simul eâ implicantur, gravior est et periculosior; plerumque vel brevi ægros tollit, vel transit in longam, quæ sanatu difficillima est, sæpe lethalis.

XXV. Quando dysenteria ad ægros (XXIV.) tollendos properat, non solùm mala jam (IX.—XXI.) memorata graviùs urgent, sed alia etiam, eaque multo majora, accedunt. Summum enim corpus, hìc illic, maculis discoloribus, quas *petechias* appellant medici, deformatur; aliàs papulis, *miliariis* ex similitudine dictis, efflorescit. Haud rarò fauces deturpantur malignis ulcusculis, quibus nomini *apthæ* sunt; et quæ non modò devorandi difficultatem efficiunt, sed etiam committunt, ut partes gangrænâ afficiantur.

XXVI. Interea, his (XXV.) malis urgentibus, arteriæ submittunt se, atque imbecillimè et

non

non æquis intervallis moventur. Urina modò livida aut nigra est; modò liquida et pura; utraque sanè mala est, et, ut docet experientia, haud rarò periculum mortis ostendit. Anima vel levissimis causis deficit. Corpus crebris singultibus concutitur. Intumescit abdomen. Maxima præcordiorum gravitas est. Ægritudo maxima. Atque æger plùs minùs mente labitur, deliraque fatur.

XXVII. Dolor tandem subitò cessat. Ægro nesciente, descendunt putrida, et pessimi odoris. Sitis cessat. Atque miserandus æger, qui fallace doloris aliorumque signorum levatione spe futuræ valetudinis se consolatur, pòst paulò sudore frigido absumitur.

XXVIII. Tot tantisque malis miseros ægros, paucis interdum diebus, dysenteria gravior jugulat. Haud rarò autem, dilatâ morte,

in

in longam porrigitur, quam *chronicam* medici nominant.

XXIX. Inveterascente dysenteriâ, appetitus deficit; macrescit corpus; fugiunt vires, imò ferè emoriuntur. Ea, quæ excernuntur, neque tam copiosa, quàm initio adversæ valetudinis, sunt; neque, dum descendunt, tam gravia tormina, tamque acutos dolores movent. Haud rarò, ut morbi initio, cruenta modò sunt, modò sine cruore. At cùm intus intestina exulcerantur, perliquida, acria, pessimi odoris, et saniosa, descendunt, iis haud absimilia, quæ fundunt ulcera, quæ carcinoma fecit vel occupavit. Haud rarò etiam *hectica* febris plùs minùs urget.

XXX. Inveteratâ dysenteriâ impliciti, nonnunquam effundunt pituitæ mucisque similia, quæ ea simulant, quæ laborantes ventris fluxu egerunt; aliàs, quæcunque assumpta sunt, inconfecta

confecta ferè protinus reddunt, haud secùs ac ii solent, qui lævitate intestinorum afficiuntur.

XXXI. Hujusmodi (xxx.), vel illiusmodi (xxix.), malis urgentibus, dysenteria interdum per hebdomadas, menses, imò fortasse annos tiam, protrahitur; neque mortem antè affert, quàm inflammatio aut putredo recruduit. Si morte ægrum non afficit, interdum in alium morbum, præcipuè hydropem, transit, perinde ac si nollet miserum ad sanitatem rediturum.

XXXII. In nullum morbum tam facilè recidunt convalescentes, quàm in dysenteriam; neque ullius ferè reversio periculosior est. Crebra enim reditione intestina plùs plùsque debilitantur; et vires totius hominis usque eò exhauriuntur, ut nullis postea cibis, medicamentis nullis, refici aut redintegrari possint. Convalescentes in hunc morbum relabuntur, vel

frigori corpora necessariò inconsideratève objiciendo; vel cibo utendo, qualem ventriculus imbecillus concoquere nequit, qualisve etiam concoctus nequit effusas et perditas ferè vires restituere. Has ob causas, sæpe in dysenteriam recidunt milites, et catervatim pereunt.

CADAVERUM

CADAVERUM EXTISPICIUM.

XXXIII. Ex incisis cadaveribus eorum, quos dysenteria absumpsit, apparet, nullam intestinorum esse partem, quam hic morbus non interdum afficiat. In plenioribus autem intestinis, præ cæteris, consistere videtur.

XXXIV. Hæc plerumque introspicientibus sese inflata offerunt, atque subnigris aut lividis, quales gangrænam produnt, variata maculis; quæ curiosiùs inspectæ videntur effici sanguine subnigro et dissoluto, inter villosam eorundem tunicam et spongiosam propriis vasis effuso.

XXXV. Nonnunquam gangrænæ, longiùs latiùsque patentis, indicia in conspectum veniunt. Intestina enim, cæcum, sinuatum, et

rectum, per totam longitudinem, nigra et putrida oculis apparent, simulque intolerandâ odoris fœditate nares graviter offendunt. Tunicæ, porrò, supra consuetudinem crassæ, inflammationem ante mortem habuisse indicant.

XXXVI. Aliàs ferro patefacta, intestina eadem ulcerosa conspiciuntur; verùm præcipuè sinuatum et rectum, quæ, usque ad anum, ulcusculis numero plurimis fœdantur. Haud rarò etiam erosa inveniuntur, et spiritu hinc per foramina emisso venter, dum manet vita, vehementer intenditur. Certiores nos facit MONRO, *anatomicus* curiosus in primis, cadavere cujusdam, cui venter sic intendebatur, inciso, in sinuato intestino foramen repertum esse, per quod spiritus hinc illuc exiluerat.

XXXVII. Quinetiam, pleniora intestina interdum reperiuntur, hìc illic, angustiora, quàm ex consuetudine; atque, licèt rariùs,

riùs, per totam ferè longitudinem crassa, supra quàm debent, necnon callosa et indurata. Aliàs autem sinuatum intestinum est spiritu quàm plenissimum, et ligamenta ejus, quæ in longitudinem pertinent, vix possunt oculis percipi.

XXXVIII. Nonnunquam tunica intestinorum intima, seu villosa, potissimùm affecta conspicitur, et plurimis exiguis absumpta foraminibus. Partes autem hujus tunicæ a subjecta resolutæ, quales quidam auctores putant constituere membranulas, quæ inter desidendum descendunt, rarò, credimus, si unquam, ab introspicientibus percipiuntur.

XXXIX. Potiùs ad opinionem Morgagni accedimus, qui putat, id quod verisimillimum est, membranulas, quas dysenterici dejiciunt, ex spisso muco intestinorum et effusâ lymphâ sanguinis,

sanguinis, ex toto, constare *. MORGAGNO, hac de re, assentitur MONRO; qui, ut mea memoria est, quotannis palam auditoribus censet, hujusmodi membranulas, imò etiam membranaceos tubulos, quos nonnulli dicunt interdum descendere, in dysentericorum intestinis ex muco et lymphâ eodem planè modo formari, quo similes membranulæ et tubuli in aspera arteria eorum, qui anginâ *tracheali* laborant.

XL. Quanquam, patefactis cadaveribus, villosa intestinorum tunica et spongiosa plerumque morbida inveniuntur, musculosa tamen oculis se sanam ferè offert. Verùm nonnunquam etiam hæc morbida conspicitur.

XLI. Præter ea (XXXIV.—XL.) morbida, quæ, ut memoravimus, intestina pleniora incidentibus

* Vid. MORGAG. *De Causis et Sedibus Morborum*, Epist. XXXI.

cidentibus ostendunt, alia quædam rariora ab auctoribus multi nominis narrantur. A PRINGELIO accipimus, interdum, post cruorem et mucum sinuato intestino et superiore parte recti abstersum, internam faciem repertam esse plurimis tuberculis exasperatam, quæ pustulas *variolosas*, per omnia, simulabant, nisi quòd dura erant et intus solida *. HEUSON opinatus est, hæc tubercula enasci ex membrana spongiosa, inter villosam intestinorum tunicam et musculosam interposita. Neque autem hic auctor, ut perhibet PRINGELIUS, neque GULIELMUS HUNTERUS existimavit, villosam tunicam separari, licèt, hìc illic, abrasa videretur.

XLII. Præter PRINGELIUM, alii quidam auctores, in primis LINNÆUS, his (XLI.) similia videntur conspexisse. " Dysenteria," ait hic " auctor clarissimus, " *epidemica* scabies est " intestinorum

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, Edit. quint. pag. 246.

" intestinorum interna, ut ex dissectioni-
" bus dysenteriâ defunctorum patet." CLEGHORNIUS quoque certiores nos facit, incisis cadaveribus eorum, quos hic morbus absumpserat, non modò pleniora intestina intus talia vidisse, quales, in vivis, partes captæ inflammatione et emortuæ visu esse solent; sed etiam sinuatum intestinum induratis tuberculis intus exasperatum, quæ, hìc illic, id solito angustius fecerunt *.

XLIII. Etsi in plenioribus intestinis dysenteria potissimùm consistit, tamen interdum etiam tenuiora et ventriculum tantâ vi occupat, ut, secto postea cadavere, vel indicia inflammationis ostendant vel lividas maculas gangrænâ ortas, et haud rarò spiritu incluso intendantur.

XLIV.

* Vid. CLEGHORN. *Observations on the Epidemic Diseases of* MINORCA, Edit. secund. pag. 227.

XLIV. Fortasse nullum ferè viscus abdominis est, quin interdum dysenteriâ afficiatur. Omentum itaque aliàs tabidum introspicientibus se offert; aliàs, gangrænâ affectum. *Mesenterium* quoque, necnon pancreas et splen, morbida interdum inveniuntur. Quinimo, ipsos nonnunquam renes, contra naturalem consuetudinem, flaccidos conspicamur.

XLV. Visceribus, porrò, thoracis interdum non parcitur. Pulmones enim, ut ex patefacto corpore cognoscimus, nonnunquam inflammatione capiuntur, et partibus contiguis adhærent. Aliàs cor, supra quàm debet, amplum invenitur, et sanguine, præter naturam nigro, oppletum. Intelligendum autem est, rarissimè accidere, ut hæc viscera dysenteria exerceat.

XLVI. Jecur et vesica fellea plerumque naturalia apparent; ex quo concludere æquum

est, dysenteriam non, ut quidam contendunt, ex morbida bile oriri. Non autem semper hæ partes incolumitate fruuntur. Interdum enim, cadaveribus dysenteriâ defunctorum patefactis, hepar in conspectum venit, vel amplius quàm quod naturale est, vel omnino putridum; atque ferè simul vesica fellea, subnigro putridoque felle plena.

XLVII. En itaque morbida (XXXIV.—XLVI.) varia, quæ in cadaveribus eorum, quos dysenteria absumpsit, ab introspicientibus conspiciuntur. Etiamsi cuncta cujusque dysenteriâ defuncti communia non sint; tamen omnium communia sunt morbida intestina pleniora, et difluens ac solutus sanguis.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

XLVIII. Dysenteria aliis morbis facilè dignoscitur. Enimvero diarrhœa solus fortasse morbus est, pro quo haberi potest.

XLIX. Inter dysenteriam autem et diarrhœam hoc interest, quòd illa febrem habet, necnon tormina et tenesmon multo graviora; quòd pestifera grassatur; quòdque eâ correpti, stercus, nisi in massulas duras figuratum, ferè nunquam egerunt.

L. Dysenteria haud rarò febres quasdam comitatur, præcipuè *BILIOSAS*, et *MALIGNAS*. Verùm harum proles est potius, quàm parens.

PROGNOSIS.

LI. Nulla forsitan dysenteria est, quin sit plùs minùs periculosa. Maximam autem stragem edit, ubi pestilentissima est, et gravitate aëris atque communitate tectorum per valetudinaria vulgatur. Quo enim confertiores invadit, et quo plures orco demittit, vim eo sæviorem magisque invictam adipiscitur.

LII. Sed enim, quò de eventu hujus morbi meliùs judicemus, animadvertendum est, quæ mali morbi testimonia sint, quæ ægro securitatem polliceantur.

LIII. Si initio descendunt copiosa, neque dolorem gravem movent; si tormentum et tenesmos non intenduntur, ultra quàm æger facilè potest tolerare; si neque nauseâ neque vomitu multùm vexatur; si febris levis est, nequedum

quedum vires labascunt: scire licet, non periclitari.

LIV. Sin alvus, inter dysenteriam, conquiescere hominem in cubili non patitur; sin, quod descendit, id est exiguum, et magnum dolorem movet; sin tormina et tenesmos jam gravia, plùs plùsque intenduntur; sin vires decesserunt, in iis quæ excernuntur magna fœditas odoris est, et venter indurescit; sin cutis papulis milii semina simulantibus efflorescit, vel *petechiis* aut vibicibus deformatur; sin, denique, his accedunt deliquium animæ, singultus, extremarum partium frigus: ad ultima ferè jam ventum est, aut mors denunciatur.

LV. Ubi, in iis quæ descendunt, exiguus sanguis strias repræsentat, non terrere debet; quippe cùm, unum duntaxat alterumve ex exiguissimis recti intestini vasis lacerari, vel aliquà reserari, ostendat. Sed, ubi in iisdem multus

sanguis

sanguis inest, isque penitùs commixtus, pessimi morbi est testimonium; propterea quòd non solùm magna ejus copia vires brevi dissipat, sed etiam mistura, quippe qualis in recto accidere non possit, ostendit, superiora intestina, imò fortassis tenuiora, a morbo depasci, et irritationi, mirum in modum, opportuna esse.

LVI. In lubrico etiam versatur, cui ventris aut urinæ ardor est; quem stranguria excruciat; cui percussus formicans arteriarum est; qui dementit, deliraque fatur; cuique, circa præcordia et ventriculum, anxius angor est.

LVII. In præcipiti jam esse, denunciant creber singultus; devorandi difficultas; lingua arida et nigra; gangræna summum corpus, hìc illic, depascens; viridia vel cineracea, injussu

voluntatis,

voluntatis, excedentia ; urina subfusca vel subnigra, maximè, ægro nesciente, reddita.

LVIII. Etiam, postquam dysenteria inveteravit, rarò desinit esse periculosa. Certiores nos facit MONRO, se nullum morbum ad sanitatem faciliùs, quàm recentem dysenteriam, perduxisse ; nullum ægriùs et rariùs, quàm inveteratam *. CLEGHORNIUS quoque, hac de re, his verbis loquitur. " Almost all the dysen-
" teries which fell under my care, unless they
" were speedily cured in the beginning, at last
" proved obstinate, and too frequently fatal,
" in spite of all the boasted specifics for this
" distemper."

LIX. Cùm ita (LVIII.) sit, iis, qui inveteratâ dysenteriâ excruciantur, securitatem polliceri non sæpe possumus. Verùm non omnis tamen

* Vid. DONALD. MONRON. *on the Diſeaſes incident to Soldiers*, Edit. ſecund. p. 335.

men vetusta dysenteria nos sic terrere debet, ut ægri saluti desperemus, neque experiamur, si quibus remediis periculo et morti eripiatur. Sæpe enim dysentericus, qui in articulo mortis videtur, idoneâ curâ medici, et firmâ naturaliter constitutione corporis, ad sanitatem pervenit, et pristinum vigorem redipiscitur.

LX. Considerandum est igitur, in quantam longinquitatem dysenteria vetusta porrecta sit; ægroti vires quæ supersint; tempus anni quid sit; atque ex horum notitia, de morbi eventu, judicandum.

CAUSÆ REMOTÆ.

LXI. His (LI.—LX.) dictis de *prognosi*, nunc transeundum est ad remotas causas. Ex his autem, quædam homines dysenteriæ obnoxios faciunt; aliæ committunt, ut in hanc obnoxii incidant. Illæ, medicorum linguâ *PRÆDISPONENTES* nominantur; hæ *OCCASIONALES* seu *EXCITANTES*.

PRÆDISPONENTES.

LXII. Causæ, quæ homines in dysenteriam proclives faciunt, eædem ferè sunt, quæ in alios morbos, qui humores putrefaciunt; quæcunque, nimirum, corpora magnopere debilitant, et apta reddunt, quorum humores putrescant.

LXIII. *Calor*—hujus (LXII.) generis est. Præ enim calore, dysenteria multo sæpius, in calidis regionibus, grassatur, quàm in frigidis. Eandem ob causam, fugiente æstate, vel incipiente autumno, sæpius invadit, quàm aliis anni temporibus; et, quo calidior tempestas præcessit, eo sævior et funestior est.

LXIV. *Humor*—quoque ad idem (LXII.) genus pertinet, potissimùm unà cum calore diu corpori admotus. Hinc fit, ut calida simulque humida tempestas, si aliquandiu constiterit, obnoxios dysenteriæ homines faciat. Hujusmodi enim tempestas sanguinem, uti videtur, ad putrescendum, ultra quàm debet, facilem reddit, et sic aptiorem, quem contagio, qua concitatur hic morbus, afficiat.

LXV. Verùm, etiamsi iis potissimùm temporibus et tempestatibus dysenteria vulgetur, quibus

quibus bilis vitiari solet, tamen minimè constat, nunquando ex solo hujus vitio oriatur.

LXVI. Primùm enim, patefactis eorum cadaveribus, quos dysenteria abstulit, intestina tenuiora et hepar, ut suprà (XLIII. et XLVI.) diximus, rarò morbida apparent; licèt hæ partes, præ cæteris, causis soleant affici, quæ committunt, ut prava bilis secernatur. Deinde, bilis ipsius aliàs exigua tantùm quantitas reperitur, aliàs major. Quinetiam, alio aliàs colore et spissitate est; et, quoties vim ejus solito majorem dysenterici excernunt, ferè toties levantur mala, quibus urgentur.

LXVII. His (LXVI.) cognitis, adducimur, ut credamus, dysenteriam, si unquam ex vitio bilis oriatur, saltem multo rariùs, quàm quibusdam auctoribus visum est; et igitur, ut calor cum humore proclives in hunc morbum

mortales faciat, aliâ quadam ratione, quàm committendo ut bilis vitietur, necesse esse.

LXVIII. *Putrescentia*,—porrò, alimenta eodem (LXII.) genere comprehenduntur. Multus diuturnusque carnium usus, deficiente simul cùm victu, qui paratur ex frugibus et reliquis, quæ terra parit, tum potu fermentato, mortales, ut satìs supèrque docet experientia, aptos reddit, qui in dysenteriam incidant. His enim deficientibus, non obstatur, quò minùs carnes committant, ut corporis humores, supra quàm debent, apti fiant, qui putrescant. Quocirca, homines, qui carnibus solis vivunt, tam in dysenteriam, quàm in stomacacen, fiunt cæteris procliviores.

EXCITANTES.

LXIX. Memoratis (LXIII.—LXVIII.) causis, quæ mortales aptos faciunt, quos dysenteria invadat, nunc, quæ committant, ut aptos invadat, dicendum est.

LXX. *Contagio specialis*—hujus (LXIX.) generis præcipua, et haud scio annon sola, est. Etsi enim dysenteria interdum homines sparsim afficit, et aliis causis, atque contagione, unâ conspirantibus oritur, id profectò, quod interdum in navibus accidit, quæ diu mari fuerunt; tamen contagio præcipua causa, qua concitatur, idcirco, putamus, habenda est, quòd, hac solâ, nullis aliis auxiliantibus, plerumque vulgatur.

LXXI. Qua verò naturâ sit hæc (LXX.) contagio, haud secùs atque aliæ, ferme penitùs ignoramus.

ignoramus. Simile, enimvero, veri est, vim pestiferam, qua concitatur dysenteria, putrido potissimùm inesse halitui, qui ægrotorum excrementis oritur. In castris enim, sani milites sæpe hoc morbo corripiuntur, desidendo iisdem foricis, quibus nuperrimè desederunt jam correpti. Quinetiam, ex militibus, qui bellum gerunt, in eos præcipuè ingruit, qui iisdem castris diu usi sunt, et qui, eam ob rem, diu objectati vaporibus sunt, qui commilitonum excrementis, equorumve cadaveribus, terrâ non satìs coopertis exoriuntur. Certiores, porrò, nos facit auctor, fidus in primis, dysenteriam semel concitatam esse exhalatione ex phiala, in qua sanguis putridus continebatur *.

LXXII. Quà autem pestifera hæc (LXXI.) vis in corpus penetret, scilicet an viâ cutis, an pulmonum

* Vid. PRINGEL. *Diseases of the Army*, Edit. secund. p. 225.

pulmonum, an ventriculi, nondum satìs compertum est.

LXXIII. Contagionem, qua nascitur dysenteria, cùm primùm grassari incipit, non subitò se latè diffundere videtur. Hæc enim nunquam omnes exercitûs milites, omnesve urbis incolas, simul invadit. Primo initio, homines singulatim adoritur; pòst paulò, vires quasi nacta majores, infestiùs grassatur; tandem, ni obsistatur, laté omnem in partem disseminata, ingruit in omnes ferè homines, qui navis aut castrorum aut urbis communitate utuntur, et plurimos absumit.

LXXIV. Præter autem contagionem sui generis, aliæ sunt causæ, quæ, ut nonnulli contendunt, dysenteriam concitant. De his nunc paucis dicendum est.

LXXV. *Halitus cutis frigore suppressus,*—

hujus

hujus (LXXIV.) generis esse, putatur. Nonnulli enim contendunt, talem suppressionem, per se, valere ad concitandam dysenteriam, dummodo causis suprà (LXIII.—LXVIII.) dictis hominum corpora jam apta, plùs minùs, reddita fuerint, quorum humores putrescant.

LXXVI. Verùm, licèt, id profectò, quod ab omnibus conceditur, suppressa cutis (LXXV.) exhalatio aptum reddat corpus humanum, quod in dysenteriam incidat; tamen, ut nimis constat, ipse hic morbus naturâ pestifer est, et, sive supprimatur cutis exhalatio, sive non, ministeriis invicem et contactu vulgatus, castra et classes, et ubicunque magna vis hominum congregatur, implet. Itaque, nostrâ opinione, dubium perquam est, exhalatio cutis frigore suppressa, unquamne per se, ad dysenteriam concitandam valeat.

LXXVII. *ANHELITUS*, porrò, *PALUDUM*,—ut a

PRINGELIO

PRINGELIO, et compluribus aliis auctoribus satìs fidis, accipimus, dysenteriam pariter et febres intermittentes concitat. " In the end of " summer," ait hic auctor, " or in autumn, " when any number of men are exposed to " night damps, or fogs, or lie upon wet and " marshy ground, especially after a hot day, " part of them will be siezed with a fever " of the remitting or intermitting kind, and " part of them with dysentery."

Quinetiam, fert idem gravis auctor, hujusmodi febres et dysenteria, communia quædam signa habent, scilicet horrores, et ægrum ventriculum; et, quod ad alvum attinet, curationem prorsùs eandem desiderant.

LXXVIII. SYDENHAMUS, cognitâ causarum, signorum, curationisque (LXXVII.) communitate, quæ dysenteriæ est cum febribus intermittentibus, dixit, dysenteriam esse " the

" fever of the season turned in upon the " bowels."

LXXIX. Verùm SYDENHAMI opinioni, utcunque primo intuitu verisimilis videatur, tamen est, quare contradicamus. Primùm enim inter dysenteriam et intermittentem febrem hoc interest, quòd illa, secùs atque hæc, pestifera est. Deinde, etiamsi dysenteria eodem sæpe tempore grassetur, quo hæc febris potissimùm urgeat, tamen non idcirco concludendum est, causam excitantem utriusque communem esse. Quid enim, obsecramus, obstat, quò minùs morborum causæ, inter se diversæ, in eadem regione simul existant, et, apud milites vel ejusdem exercitus, morbos itidem diversos, alium alia, excitent?

LXXX. His (LXXIX.) rationibus adducti, opinamur, exhalationes paludum nunquam dysenteriam concitare; et *DYSENTERIAM*, quam quidam

medici

medici nominârunt *INTERMITTENTEM*, haudquaquam primarium morbum esse; sed potiùs signum, quod intermittenti febri supervenit, præ quadam ægri proprietate, vel contagione unde dysenteria nascitur, qua, post inceptam intermittentem, repletus fuerit.

LXXXI. *FRUCTUUM*, præterea, *NIMIUS USUS*,—ut contendunt quidam auctores, dysenteriam nonnunquam gignit. Inducti fortasse sunt, ut sic opinarentur, eo quòd dysenteria eo anni tempore sæpissime grassatur, quo pomifer autumnus fructus suppeditat.

LXXXII. Verùm, etiamsi incauto fructuum usu nonnulli, a dysenteria revalescentes, reciderint; tamen, ut nobis videtur, non est, quamobrem, hunc morbum fructuum usu utique concitari, putemus. Sæpenumero enim, ut certiores nos faciunt PRINGELIUS et DEGNERUS, haud leves sanè auctores, castra dysenteriâ priùs

implentur, quàm fructus maturescunt; imò etiam, interdum, ubi rami arborum incurvescunt fructuum ubertate, quæ inhiantem et appetentem solicitat, hic morbus non grassatur. Huic, porrò, auctori, ut ipse ait, adeò persuasum est, dysenteriam fructuum usu haudquaquam oriri, ut, dùm hæc grassabatur, quotidie fructus temperatè, non modò sine detrimento, sed etiam cum evidente commodo, devoraret; inductus, ut hoc faceret, opinione, fermentationem aceti genetricem, in ventriculo et alvo a fructibus motam, aliqua ex parte, impedivisse, quò minùs acres evaderent corporis humores.

LXXXIII. His itaque (LXXXII.) cognitis, et præterea cùm consideremus, quantùm ad dysentericorum curationem faciat maturorum fructuum usus, non possumus quin opinemur, fructibus, si modò maturi sint, dysenteriam nunquam concitari.

CAUSA PROXIMA.

LXXXIV. Causas, non eas (LXII.—LXVIII.) modò, quibus dysenteriæ opportuna hominum corpora reddantur, sed eas (LXIX.—LXXXII.) quoque, quæ in opportunis corporibus hunc morbum concitent, fusiùs persecuti, proximum est, ut consideremus, quid sit causa ejusdem *PROXIMA*, seu ea, ex qua, tanquam communi stipite, omnia mala, quibus dysenterici cruciantur, egerminent.

LXXXV. De proxima dysenteriæ causa, utpote quæ dubia sit et parùm cognita, in varias partes a medicis disputatum est. Dum enim quidam asserunt, acrem esse materiam vel alvo ipsâ ingeneratam, vel huc alicunde derivatam, quæ hanc in motus concitatiores rapit, et sic frequentem dejiciendi cupiditatem movet;

vet; alii sinuatum intestinum esse, contra consuetudinem, astrictum, nervosiùs contendunt.

LXXXVI. Quoniam verò neutra harum (LXXXV.) causarum communis omnium malorum, quibus premuntur dysenterici, parens videtur, utræque, putamus, rejiciendæ sunt.

LXXXVII. Primùm enim, acrem materiam solam non, ut proponunt illi qui primam (LXXXV.) opinionem accipiunt, communem omnium signorum causam esse, nobis idcirco videtur; quòd acria in alvo, seu ingenerata sive huc aliunde ingesta, committunt, non solùm ut hæc citatiùs astringat se et relaxet, sed etiam ut stercus solito copiosiùs infrà transmittat: longè profectò aliter, atque dysentericis accidit; quippe qui, licèt alvus in concitatissimos utique motus subinde rapiatur, duntaxat exiguum tamen aliquid de imo recto dejiciant, quorumque stercus non excernatur, nisi, quod

sanè

sanè rarissimè evenit, in massulas duriusculas conformatum, in quas longa in alvo remorâ concreverit.

LXXXVIII. Deinde, est quoque, quare dissentiamus ab iis, qui secundam (LXXXV.) opinionem profitentur et defendunt. Præterquam enim quòd intellectu imprimis difficile est, qua ratione contagio, qua dysenteria concitatur, sinuatum intestinum, contra consuetudinem, astringat; non potest, astrictione etiam concessâ, explicari, quamobrem hinc, tanquam communi fonte, omnia mala, quæ premunt dysentericos, tanquam rivi profluant, neque quemadmodum, id profectò quod comperti sunt medici, ex quibusdam medicamentis commodum, ex quibusdam contrà detrimentum, dysenterici accipiant.

LXXXIX. Quinetiam, *colicæ Pictonum*, cujus causa proxima certè, maxima ex parte, est al-

vus

vus alicubi, præter naturam, astricta, signa pleráque iis dysenteriæ dissimilia sunt, imò quædam ferme contraria. Neque, profectò, signis modò discrepant hi morbi, sed medicamentis quoque quibus curantur. Illi enim opio et aliis medicamentis, quibus inest spasmum solvendi facultas, optimè subvenitur: huic hæc medicamenta non antè opitulantur, quàm alvus stercore evacuata fuerit; neque tum quidem, nisi cautè et prudenter adhibita: aliter profectò atque accideret, si eadem causa proxima utriusque esset morbi communis.

XC. His itaque (LXXXVIII. et LXXXIX.) cognitis, inclinant animi, ut credamus, sinuati intestini spasmum, quem obstare, quò minùs dysentericorum stercus infrà transmittatur, etiamque committere, ut alia quædam superveniant mala, concedimus, adeò non, tanquam communem truncum, omnia signa profundere, ut ipse

ex

ex hujusmodi quasi trunco, sicut ramus egerminet.

XCI. Utrisque igitur (LXXXV.) opinionibus, utpote quæ ad fidem parum aptæ videantur, excussis et rejectis, aliam, si quam novimus, verisimiliorem proponere oportet. Verùm confitendum est, ex jam propositis nullam esse, quam omnes in se veri numeros habere putamus; et nobis arduum in primis videri, exponere, quare vicissitudines caloris frigorisque, humor, atque contagio, intestina sola, quemadmodum solent ea dysentericorum, afficiant.

XCII. Hoc tantùm haud ignoramus, alias contagiones alias partes, quæ tamen haud rarò mucosæ membranæ sunt, afficere. Cùm ita sit, vero haud absimile est, causam, ex qua, tanquam communi, omnia mala, quibus dysenteria insignitur, enascuntur, esse villosæ intestinorum tunicæ inflammationem; quæ efficiat, ut

non solùm mucus malæ indolis secernatur, sed etiam intestinorum tunicæ supra consuetudinem crassescant, ut interdum accidit, imò et gangrænâ capiantur et mortem afferant.

XCIII. Verùm, enimvero, quanquam causa dysenteriæ proxima sit obscurior, quàm ut medici hactenus satìs cognoscere potuerint; tamen, cognitis signis, torminibus, scilicet, dejectionibus frequentibus, et tenesmo, ad idoneam curationem dirigimur; cujus præcipua pars est, consequi aptis medicamentis, ut alvus stercore evacuetur. Proximum est igitur, ut, qua ratione quibusque remediis et medicamentis curationem medici exsequantur, fusiùs exponamus.

CURATIO.

CURATIO.

XCIV. Quanquam pauci sunt morbi, ad quos sanandos natura minùs, quàm ad dysenteriam, præcipuè pestiferam, valet; tamen, etiam contra hanc, medicina, si modò opportunè subveniat, multum, imò interdum plus expectatione, potest. Quibus igitur dysenteriæ succurrat medicina, remedia medicamentaque speciatim fusiùsque memoranda sunt.

XCV. *Sanguinis detractio*,—adhibenda, necne, sit, judicandum est considerando, morbi, necnon anni, quid sit tempus; quæ natura febris; quæ supersint vires; quæ signa maximè urgeant; et si qua similia.

XCVI. Si initio haud modica vis febris est, ejusque ardentis; si citatus arteriarum pulsus,

et æger sanguine plenus: sanguinem emittere plerumque opus erit, ad modum quem vires patiantur, et ratio morbi desideret.

XCVII. Quum verò febris, quæ dysenteriam comitatur, tam sæpe vel putrida sit, vel morbi cursu in putridam convertatur, sanguinis missio rarò requiritur, raròque proficit. Etiam cùm desideratur hoc remedium, cautè, estimatis priùs viribus, cæterisque (xcv.) consideratis, adhibendum est; neque unquam, id profectò, de quo omnes ferme medici uno ore consentiunt, repetendum, nisi vel etiamnum urgeat febris ardens, vel inflammatio, morbi naturæ aliena, in quadam parte oriatur.

XCVIII. *Vomitoria.*—Vix ullum medicamentorum genus, contra dysenteriam, plùs pollet, quàm genus eorum, quæ movent vomitum; at nihilo tamen minùs a multis medicis immeritò neglecta sunt. Quàm, enimvero, bene

dysenteriæ

dysenteriæ conveniant, ipsa Natura ostendere videtur. Namque omnibus ferme dysentericis frequens vomendi cupiditas est; et, quoties acria et biliosa quædam suprà erumpunt, omnia signa levantur.

XCIX. Vomitoria, præterquam quòd acribus et biliosis ventriculum exonerant, extremorum sanguinis rivulorum spasmum solvunt, et sanguinem ab intestinis ad summum corpus avertunt. Quapropter, ipso dysenteriæ initio, ægro vomitoriis subveniendum est. Quinetiam, per totum morbum, hæc medicamenta subinde, si res postulent, assumere, multùm, putamus, proderit; MONRONI enim assentimur, opportunas vomitiones, ad curandam dysenteriam, multùm valere *.

C.

* Vid. DONALD. MONRON. *On the Diſeaſes incident to Soldiers*, Edit. Secund. p. 340.

C. Multa medicamenta, quæ dysentericis vomitum moveant, ab auctoribus memorata sunt. Satìs autem ad rei nostræ necessitudinem erit, duntaxat præcipua paucis dicere.

CI. *Ipecacuanæ pulveri*—primas plurimi medici deferunt; et, quin persæpe optimè respondeat, nequaquam dubium est. Hujus medicamenti scrupulus, vel viginti quinque grana, ad vomitionem ciendam plerumque sufficient. Quòd si morbus vehementiorem vomitum desideret, et corpus pati posse videatur, vel aliquanto plus ejusdem, vel duo triave grana *tartari antimonialis* superdanda sunt, vel aqua decocta ex chamæmelo aliquoties superbibenda.

CII. *Tartarum antimonialem*,—non desunt, qui *ipecacuanæ* pulveri anteferendum putant. Solent medici, quatuor hujus medicamenti grana totidem aquæ unciis solvenda curare; dein præcipere

pere, ut aquæ, qua solvuntur, potiunculam ægri bibant, et, exiguis intervallis, superbibant, donec vomitio supervenerit. Pauca quoque ejusdem grana *ipecacuanæ* pulveri, quò vehementiorem vomitum hic moveat, superaddere, ut modò (CI.) diximus, haud insolitum est.

CIII. *Vitrum* item *ceratum antimonii*—summis laudibus auctores quidam extulerunt, et etiam modo quodam sibi proprio, necdum satis cognito, ad dysentericos sanandos pollere, existimârunt. Verùm, etiamsi concedendum sit, interdum respondisse, postquam cætera fefellerunt, et iis fortasse dysentericis, quibus robur subest, neque morbus inveteravit, rectè interdum dari; tamen plerumque vomitum, supra quàm morbi ratio requirit, gravem ciet, ideoque lenioribus vomitoriis posthabendum. Hinc, uti videtur, asperius hoc medicamentum dare, PRINGELIUS tandem, magna ex parte, et MONRO quoque abstiterunt. Nihilo verò minùs,

nùs, quippe enim tanta est medicorum discrepantia, quidam etiamnum commendant; et, cum cera consociatum, quæ aliquanto lenius reddat, uberiùs parciùsve, prout morbus requirat, viresque pati posse videantur, ut assumatur, præcipiunt.

CIV. Ex tribus medicamentis vomitoriis, quæ modò (CI. CII. CIII.) memoravimus, optimum, ut nobis videtur, *ipecacuana* est, propterea quòd vomitum leniorem, at quantum tamen morbi ratio desiderat, solet movere. Per se, rectè dari potest; vel fortasse rectiùs, unà cum paucis *tartari antimonialis* granis ei admixtis, quippe cùm ex propriis utriusque medicamenti virtutibus, si quæ utique insint propriæ, utilitatem æger percipiat.

CV. *Cathartica*,—efficacissima forsitan medicamenta sunt, quibus, post vomitionem ritè concitatam, dysenteria ad sanitatem perduci possit.

possit. Quanquam autem morbi ipsius natura, alvum hujusmodi medicamentis purgandam esse, ostendit, et his interdum solis dysenterici sanantur; tamen eorum aliquando usum medici neglexerunt, et aliis pugnârunt medicamentis, quæ facultates contrarias possident; forsitan, ut hoc facerent, adducti crebris dejectionibus, quibus dysenterici vexantur.

CVI. Oportet autem medicos haud ignorare, dysentericos, licèt iis frequens admodum sit dejiciendi cupiditas, at rarissimè tamen stercus excernere; et cathartica, si modò committant, ut stercus naturale, et adhuc magis corpuscula indurata, in quæ stagnando hoc concreverit, quæque intolerandam ferè intestinorum irritationem moveant, infrà transmittantur, mala, quibus cruciantur, plurimùm levare.

CVII. Hunc in (CVI.) finem, leniora ple-

rumque cathartica sufficient. Porrò, quoniam, dum morbus continuat, medicamenta, ex iis quæ alvum movent, sæpicule assumere opus est, leniora minimum ægro detrimentum afferunt. Verùm interdum tamen, quando leniora ad alvum solvendam inefficacia sunt, acriora quædam adhibere necessarium est.

CVIII. Postridie, quàm assumptum vomitorium est, præcipuè autem quod alvum haud simul moverit, catharticum, quod acribus et irritantibus contentis hanc vacuefaciat, adhibere oportet: antè enim, quàm alvus putrescentia aliaque acria, quæ offendunt, infrà transmittit, dysenteria ad sanitatem perduci non potest. Hanc ob rem, per duodecim quatuordecimve primos dysenteriæ dies, Monro, auctor peritus in primis, medicamentis laxantibus ferme solis pugnare solet; atque certiores nos facit, crebris purgationibus ægros adeò non debilitari,

bilitari, ut, post singulas, alacriores et vegetiores evadant *.

CIX. Nunquam igitur ex animo medicorum effluere oportet, quo magis sublatâ causâ morbus remittit, eo meliùs dysentericos vires redipisci; et, occasione his efficaciter subveniendi laxantibus medicamentis vel timore prætermissâ, vel ob inscientiam neglectâ, fore, ut nunquam hos postea ad sanitatem possint perducere. Mentibus itaque hæc inoblitis, lenioribus dysentericorum saluti catharticis opportunè subvenire oportet.

CX. 1. *Radix* PONTICA,—dysentericis sæpe datur, quò indurato stercore aliisque irritantibus alvum evacuet; et, profectò, a quibusdam auctoribus putatur, cæteris omnibus catharti-

* Vid. DONALD. MONRON. *On the Diseases incident to Soldiers*, Edit. Secund. p. 346.

cis præpollere, quæ, hunc in finem, dari solent.

2. Inter eos, qui hoc medicamentum laudibus tollunt, eminet PRINGELIUS; qui solebat ejus, in pulverem contriti, grana viginti quinque vel triginta, cum quatuor quinqueve *hydrargyri muriati mitis* granis commixta, quæ, ut ratus est, cùm efficacius tum lenius redderent, dysentericis toties dare, quoties alvum exinanire necessarium videbatur *. Nonnunquam autem modum ferè duplo majorem assumendum curabat: atque, dum de utilitate, quam ex radice PONTICA accipiunt dysenterici, disserit, nonnusquam dicit, plerumque hanc parciùs, quàm pro morbi naturâ, assumi; et oportere medicos, qui assumendam curant, non tanti facere dosin, quanti dejectiones; quæ tamen ipsæ non tam ex

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, Edit. quint. p. 262.

ex frequentiâ, quam ex materiæ copiâ, et levamine quod ægro afferunt, æstimandæ sunt.

3. Contrà, sunt, qui radicem PONTICAM dysentericis parùm convenire contendunt, propterea quòd, præ vi qua pollet astringendi, mirum, putant, ni morbum, quo illi implicantur, faciat ingravescere.

4. Verùm, etiamsi hanc radicem astrictoriam reipsa esse concedendum sit, attamen, si modò consideratè adhibeatur, dysentericis prodesse existimamus. Namque, quanto cæteris catharticis vitio excellat, tanto anteit virtutibus. Præterquam enim quòd, dum alvum movet, obstat, quò minùs putrescant corporis humores; astringendi facultate, qua cæteris catharticis præpollet, intestinis plus roboris minusve restituit; et, hanc ob rem, iis, qui dysenteriâ inveterascente vel inveteratâ laborant, quibus-

que

que alvum jam evacuârunt alia cathartica, multùm haud rarò proficit,

CXI. 1. *Radix* quoque *ipecacuanæ*,—dysentericis dari solet, ut non vomitum modò, sed alvum quoque moveat; atque a multis auctoribus habetur optimum medicamentum, vel saltem ferè optimum, quod, hunc in finem, illi possunt assumere. Imò etiam sunt, qui medicamentum contra dysenteriam peculiariter ferme efficax opinantur.

2. Quando *ipecacuana* datur, quò alvum solvat, duo triave grana ter quaterve quotidie devoranda curare medicum oportet. Rarò accidit, quin his sic assumptis alvus purgetur, et omnia mala, quibus gravatur ægrotus, multùm leventur. PRINGELIUS, quò alvum molliret, quinque sexve grana bis terve quotidie dysentericis dare solebat. Sed tantus modus rarò ad alvum molliendam necessarius est, et, porrò,

rò, interdum non nauseam modò, sed vomitum quoque, facit.

3. *Ipecacuana* optimè dysenteriæ opitulatur, quæ cathartica leniora desiderat. Præ vi etiam aſtrictoria, qua aliquantùm pollet, ad dysenteriam, quæ inveteraverit, bene accommodata videtur.

4. " Ad radicem *ipecacuanæ*," ait Piso, qui hanc primus descripsit, et dysentericis dandam suasit, " tanquam ad sacram anchoram confu-
" giendum, qua nullum præstantius aut tutius
" cùm in hoc tum in plerisque aliis, cum, vel
" sine sanguine, fluxibus compescendis natura
" excogitavit remedium. Quippe, præterquam
" quòd tutò et efficaciter tenacissimos quoque
" humores per ipsam alvum, sæpe autem per
" vomitum ejiciat, et a parte affecta derivet;
" vim quoque *astrictivam* post se relinquit*."

5.

* Vid. Gulielm. Pison. *Hiſt. Nat. et Med.* Indiæ Occidentalis, Lib. ii. Cap. 9.

5. Hoc auctore et aliis satìs fidis testantibus, etiamque propriâ experientiâ adducimur, ut credamus, *ipecacuanam*, seu detur ad alvum movendam, sive ad vomitum, multùm contra dysenteriam pollere.

CXII. 1. *Sales* porrò *neutri*—inter cathartica memorantur, quæ dysentericis convenire medici existimant. Præ vi refrigeratrice, quam possident, dysenteriæ incipienti sæpe multùm opitulantur. Hujus generis sales, quos anteferunt medici, sunt *sal Glauberi*, *tartarus solubilis*, et *sal catharticus amarus*.

2. *Salem catharticum amarum* MONRO et ZIMMERMANNUS, qui in eum laudando multi sunt, cum oleo conjunctum dare solent; et putant, nullum ferme catharticum esse, quod dysentericis magis convenit aut plùs proficit.

3. Alii autem contendunt, hoc medicamentum,

tum, quippe cùm humores corporis plùs minùs aptos faciat, qui putrescant, nequaquam semper idoneum esse, quo dysenterici purgentur, sed aliis quibusdam posthabendum, quæ jam memoravimus.

CXIII. Præter cathartica, quæ (CX.—CXII.) diximus, alia quædam sunt, quæ dysentericis opitulari putantur, *sena* scilicet; *tamarindi;* oleum cicinum; *tartarus antimonialis* cum *manna*, aquâ solutus; *vitrum ceratum antimonii.* Horum quidque, quorundam opinione, cæteris omnibus cathartici generis a dysentericis antetferendum est. Sed, ut nobis videtur, oportet medicos nunquam tanti putare medicamentum, quanti ægrum, et scire, alii ægro non aliam esse modò corporis proprietatem, sed aliud quoque medicamentum, præ cæteris, convenire.

CXIV. *Opiata.*—Uti nullus ferè morbus est, quem medicamenta hujus generis, dummodo

prudenter adhibeantur, plùs levant, sic nullus, in quo inconsideratus eorum usus plùs nocet. Cùm ita sit, ex toto negligere satius est, quàm inscitè aut temerè dare.

CXV. Priùs igitur, quàm præcipiat medicus, ut hujusmodi medicamenta dysenterici assumant, consulto opus est. Antè enim adhibere, quàm idoneis catharticis alvus omnibus acribus et putridis putrescentibusve purgata fuerit, adeò non morbum levaret, ut, alvum tardando, potiùs intenderet. SYDENHAMO, medidico perito in primis, hoc in mentem venisse non videtur. Nam, licèt aliquando dysentericis, ut cathartica assumerent, præciperet, at plerumque tamen opio, medicamentisve quibus hoc inerat, spem maximam eos ad sanitatem reducendi ponebat; fugace forsan levamine inductus, quod ex hujusmodi medicamentis dysenteria ægroti accipiunt.

CXVI. Dum itaque alvus stercore omnibusque, quotquot sint, irritantibus perpurgata sit, opio abstinere dysentericos oportet. MONRO, ut certiores nos facit, compertus est, satius esse, usum opii, ad decimum quartum decimumve quintum diem a morbi initio, differre, et interim dare medicamenta, ex iis quæ diluunt alvumque molliunt.

CXVII. Dysenterâ vel inveteratâ, cui multo opii usu subvenire haud rarò peropus est, utpote solo, unde ægrotus levamen malorum accipit, oportet identidem laxantia medicamenta interponere, ne alvus dejicere intermittat, et hinc morbus intendatur.

CXVIII. *EXULCERATORIA*—item medicamentis annumerantur ab auctoribus, quæ dysentericis opitulantur; neque profectò dubitamus, quin, quibusdem morbi temporibus, ad spem respondeant. Abdomini enim superimposita,

non dolorem modò mitigant; sed spasmum quoque sinuati intestini, si qui est, solvunt, et ejusdem inflammationem incipientem, pariter atque eam aliarum partium internarum solent, discutiunt.

CXIX. *Fomenta,*—quando, postquam alvus assumptis idoneis catharticis perpurgata est, tormina intenduntur, haud rarò optatum dysentericis levamen afferunt. Quocirca, hunc in finem, quoties opus sit, abdomini superimponenda sunt, neque, nisi haud exiguo pòst tempore, submovenda.

CXX. *Per anum immissa*—laxantia, quò alvum subducerent, rarò dysentericis profuerunt. Ad alvum enim stercore evacuandam, cathartica in ventriculum assumpta multo efficaciora sunt. Verùm emollientia tamen aut anodyna in alvum, ex inferioribus partibus, subinde infundere, ut tormina et tenesmos leventur, utilissimum

lissimum sanè est, et quod nequaquam debent medici negligere.

CXXI. Hoc autem (cxx.) consilio, in alvum, ex parte inferiore, emollientia et anodyna dare non antè oportet, quàm catharticis idoneis, in eandem ex superiore parte datis, stercus infrà transmissum, ex toto, est. Quòd si, hoc excreto, alvus etiamnum ad irritandum facilis manet, aut forsitan inflammata; ex iis, in hanc ex inferiore parte infusis, quæ, sicuti mucus naturalis, eandem illinant, et ab acribus defendant, ægroti magnum levamentum dolorum accipient.

CXXII. Varia, hunc in (cxxi.) finem, in alvos dysentericorum dari solent; aqua scilicet, in qua lini semen decoctum sit, vel adeps ovilla liquata, vel amylum, vel ptisanæ cremor. Levant enim dolorem hæc, et minorem irritabilitatem efficiunt.

CXXIII.

CXXIII. Quòd si, ut haud rarò accidit, præ frequentibus intestinorum motibus, alvus hæc (CXXII.) medicamenta non tenet, vel si tormentum et tenesmos vehementer intenduntur, quinquaginta opii liquati sexagintave guttulas addere oportet. Hæ enim, alvi nimiam irritabilitatem hebetando, non solùm committent, ut emollientia subter data teneat; sed etiam, tormina et tenesmon plurimùm levabunt.

CXXIV. Præter autem emollentia et anodyna, quæ modò memoravimus, alia sunt, quæ, quippe cùm vires sustentent et putredini obstent, nonnunquam in alvum, ex inferiore parte, induntur. Hujusmodi sunt aqua decocta ex *cinchonæ* cortice, et opium, ad pauca grana, hac aquâ solutum. Hæc verò morbus rarò requirit, nisi aut diu protractus est et inveteravit, aut rectum frequentibus dejiciendi conaminibus gangrænâ periclitatur. Quoties autem eò longinquitatis et periculi processum est, in alvum,

ex

ex inferioribus partibus, infundere, qualia gangrænæ imminenti obsistant, et vehementem alvi infirmitatem adjuvent, multùm proficiet. Interdum etiam *gas acidum carbonicum*, quod putredini obstet, in alvum dysentericorum, ex inferiore parte, infunditur.

CXXV. *Diluentia*,—necnon, aliter ac quibusdam visum est, qui, naturâ dysenteriæ haud intellectâ, potu dysentericos, ferè ex toto, interdicere solebant, medicamentis annumeranda sunt, quibus hoc morbo conflictantibus prosperè subvenitur. Hujusmodi enim medicamenta, ut inter Pringelium, Senacum, Cullenum, et Degnerum, aliosque idoneos et præclaros auctores, convenit, multùm valent ad diluendum et obtundendum acria, quæ intestinis cùm dysentericorum tum cholericorum continentur. Imò nonnulli, Senacus in primis, qui Gallici exercitûs valetudines regebat, his ferè solis credunt, utpote efficacissimis, quibus, post

missionem

missionem sanguinis et vomitionem, dysenteria curari potest.

CXXVI. SENACUS solebat quotidie dare serum lactis, vel aquam coctam ex pullo gallinaceo, cui unum *tartari antimonialis* granum addiderat. Præcipiebat, ut ægrotus alterutrius unam propè libram, singulis diebus, biberet. Hoc medicamentum non solùm vires sustentabat, sed etiam pauxillo *tartari antimonialis*, quod inerat, alvum, per totam longitudinem, leniter emolliebat. Ex hoc usu, SENACUS ipse, et quatuordecim alii, qui, eo monente, experti erant, maximam utilitatem perceperunt.

CXXVII. Præter autem hæc (CXXVI.) diluentia, alia sunt, quæ dysentericis multùm opitulantur; aqua nempe tepida; aqua cocta ex oryza, vel hordeo. Multo horum quoque usu dysenteriâ laborantibus haud rarò opus est.

CXXVIII. *Demulcentia*—itidem, quippe quæ non solùm intestina illinant sic, ut acribus contentis minùs irritentur, sed ipsa etiam acria adeò diluant, ut intestina, quibus continentur, minùs irritent, dysentericis plurimùm opitulantur.

CXXIX. Hujus generis medicamentorum optima, sunt aqua, in qua amylum vel gummi Arabicum coctum est; vel lac, aut liquores subjecto igne distillati, quibus cera liquata est; et glutinosi cibi.

CXXX. *Sudorem moventia.*—Cùm dysentericorum cutis, ut suprà (XXI.) diximus, arida sit, supra quàm naturaliter solet, et, hanc ob rem, humores, supra modum salutarem, ad intestina deriventur; medici rectè judicant, multùm profuturum, hos ad summum totius æqualiter corporis denuo evocare, et salutarem cutis halitum elicere; hoc enim facto, fore, ut mala, quibus intestina cruciantur, tormina

nempe et tenesmos, mitescerent primùm, deinde evanescerent.

CXXXI. Optima autem, quibus humores ab intestinis ad summum corpus avertantur, ea sunt, quæ adhiberi solent, quò sudorem moveant. Hujus generis sunt *spiritus Mindereri; haustus salinus* cum liquido opio; *pulvis Doveri;* parva copia *tartari antimonialis* cum pulvere *ipecacuanæ;* et denique tepidarium, quod non solùm summam cutem relaxat, et halitum ejus elicit, sed etiam, cùm summum æqualiter corpus foveat, tormina intestinorum tenesmonque multùm mitigat.

CXXXII. *Absorbentia*,—quoties, sicuti in dysenteria protracta aut inveterata haud rarò accidit, *cardialgia* acorem ventriculo abundare ostendit, a quibusdam medicis idcirco ægroto prodesse putantur, quòd, acorem innocuum reddendo, non *cardialgiam* modò, sed tormina quoque

que levant. Quod ad hæc autem medicamenta attinet, ut nobis videtur, considerato opus est: namque incipienti dysenteriæ haud multùm, putamus, opitulantur; et, etiam postquam hæc inveteravit, multus eorum usus potest vim, qua jam pollet, intendere committendi, ut corporis humores ad putredinem justo procliviùs inclinent.

CXXXIII. *Putredini obstantia,*—ne humores in putredinem vergant, assumere dysentericos oportet. Hujus itaque generis, quæ plurimùm possint, et morbi naturæ optimè conveniant, paucis dicendum est.

CXXXIV. *Acida et fructus acescentes,*—etiamsi quidam auctores, hæc dysenteriæ occasionem dare, contenderint, haud dubiè tamen dysentericis sæpe plurimùm opitulantur, impediendo ne horum humores ad putredinem inclinent. A Tissotio enim et Traillano, idoneis aucto-

ribus, accipimus, dysenteriam compluries uvis maturis et prunis curatam esse. Testibus tam locupletibus, dubitare non possumus, quin hujus generis fructus, dummodo jam maturi sint, et temperatè assumantur, ad sanandam dysenteriam multùm valeant.

CXXXV. *Vinum*—quoque, si dysenteria usque eò protracta sit, ut, præ magna ægrorum debilitate, haud multum absit quin putrescant corporis humores, bibere, et alios insuper liquores, qui putredini obstent, peropus est. Initio autem morbi, vinum non adeò convenit, et haud scio annon, ex toto, circumcidendum sit.

CXXXVI. 1. *Cinchonæ*, porrò, *cortex*—quoties inveteratâ dysenteriâ vires multùm labefactatæ sint, et humores in eo sint, ut putredine capiantur, ab ægris assumendus est.

2.

2. WHYTIUS, ut PRINGELIUM certiorem literis facit *, ait, quando, præ gravitate morbi, os et alvus propè erant, ut *aphthis* fœdarentur, imò interdum postquam jam fœdata erant, se, post exinanitiones, quas morbus desiderare videbatur, hoc cortice dysentericis prosperrimè subvenisse. Aquæ vehementer decoctæ ex cortice singulis libris *electuarii japonici* tres propè drachmas, vel semunciam, addebat; atque præcipiebat, ut hujus misturæ tantum, quantum duo cochlearia continent, quartâ quaque horâ, dysenterici assumerent. Si quando tali usû alvus tarda aut astricta fieret, radicem PONTICAM, quæ eam moveret, adhibendam curabat.

3. MONRO quoque, signis dysenteriæ (CXXXVI. 2.) iisdem, *cinchonæ* corticem, cum pauxillo liquidi opii; PRINGELIUS aquam decoctam

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, p. 274.

coctam ex illo, cum *serpentaria* et liquidi itidem opii pauxillulo, ægrotis dare solebant.

CXXXVII. *Chamæmelon*,—porrò, utpote quod non solùm putredini obstare, sed etiam flatum dispergere, periculo compertum sit, medici, PRINGELIUS in primis, medicamentum esse putant, ex quo dysenterici multam utilitatem accipiant. Non tamen ipsum, sed, aquam, in qua fervidâ aliquandiu maceratum est, assumere oportet.

CXXXVIII. *ROBORANTIA*, denique, et *ASTRINGENTIA*—simul ut dysenteria inveteraverit, vel dysentericus convalescere inceperit, adhibere, quò vires sustentent et restituant, utilissimum erit. Huic autem morbo incipienti, vel saltem nondum inveterato, parùm convenire videntur. Præcipuè utilia sunt, cùm vel longinquitate vel gravitate morbi non alvus modò, sed totum quoque corpus, magnopere debilitatum fuerit.

CXXXIX.

CXXXIX. 1. *Cinchonæ cortex*—ad hoc (CXXXVIII.) genus pertinet, et, cum opio conjunctus, dysentericis, quò alvum et totum quidem corpus roboret, dari solet. Hunc autem in finem, a dysentericis cautè adhiberi debet. Si enim vel nimiâ quantitate assumunt, vel dum intestina ad irritandum etiamnum facilia manent, haud rarò usque eò non morbum levat, ut graviorem faciat. Morbum autem maximè exasperat cortex, cùm assumatur in pulverem contritus; propterea quòd crassiores hujus particulæ teneras intestinorum tunicas mole et figurâ irritant. Cùm ita sit, aqua decocta ex hoc cortice, ejusdem pulveri, utcunque levi, a dysentericis semper anteferenda est.

2. Blanus, in libro de morbis nauticis, quem haud ita pridem edidit, *cinchonæ* corticem improbat, utpote qui, omnibus dysenteriæ temporibus, dysentericis noceat. Nobis autem hujus medicamenti improbationem, ultra quàm

satìs

satìs est, intendisse videtur. Non est enim, quòd dubitemus, si modò opportunè, conisderatè et prudenter assumatur, fore, ut multùm, ad dysenteriam sanandam, valeat.

CXL. Præter *cinchonæ* corticem, alia sunt, quæ ad idem (CXXXVIII.) genus pertinent, sed quæ, præ temporis exiguitate, breviùs, quàm pro eorum efficaciâ et utilitate, et tanquam obiter, perstringere cogimur. Hujusmodi sunt, cortex *simæ rubæ ;* ex quo aqua decocta, propter vim astrictoriam, quam possidet, inveteratâ dysenteriâ laborantibus dari solet, et a quibusdam medicis medicamentum peculiariter ferme efficax habetur: *lignum Campechense*, quod, testantibus PRINGELIO * et MONRONE †, quorum hic *julepo* hujus ligni pauxillum aluminis interdum addebat, contra vetustam dysenteriam multùm valet: *succus Japonicus : cortex cascarillæ : radix columbæ : gummis kinona.*

CXLI.

* Vid. PRINGEL. *Oper. suprà citat.* p. 281.

† Vid. DONALD. MONRON. *Oper. suprà citat.* p. 357.

CXLI. *Diætæ*—dysentericorum, et dum morbo colluctantur, et dum ab hoc convalescunt, ratio habenda est.

CXLII. 1. Dum morbus urget, *cibus* tenuis debet esse, refrigerans, et qui obstet, quò minùs putrescant humores; *potus*, constare ex diluentibus, qualia suprà (CXXVI. et CXXVII.) memoravimus.

2. Eorum autem, qui a dysenteria convalescunt, diætam esse levem, et concoctu facilem, oportet, qualisque, dum satìs nutrit, neque nimis stimulat, neque, ut in morbum recidant, committit.

CXLIII. Dum, monente medico, convalescens idoneam diætæ curam adhibet, oportet quoque puro aëre vesci; exercitatione leni, at quotidianâ, uti; et vel non frigori semet objectare, vel calido vestitu præcavere, ne ex hoc detrimentum capiat.

F I N I S.